

1. Dav. Vogel diff. ex creatio Mundi et  
 lumine nature demonstrari queat. 1704.  
 2. Chr. Marcorij diff. ex Gen. i vi. 1723.  
 3. Joach. Hildebrandi diff. de creatione unius. 1657.  
 4. Berth. Derrichow diff. de immortalitate  
 primi hominis. 1629.  
 5. Christ. Marcorij diff. de voluntate Adami. 1710.  
 6. ioh. Huelmanni diff. de Lazaru primorum  
 parentum. 1637.  
 7. Mart. Correll diff. II, de flavijs praedictis. 1706.  
 8. Aug. pfeifferi, diff. de homicidio Lanckii. 1671.  
 9. Christ. Neubaur diff. de signo quod Deas.  
 Caini posuit. 1672.  
 10. ioh. phil. pfeifferi diff. de homicidio Lanckii. 1670.

DISCUTITI  
D  
**VOLUNTA-**  
**TE ADAMI,**

IN QUA OMNIVM HOMINIVM  
VOLUNTAS POSITA FUIT:

Quam  
JUVANTE JEHOVA;  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

**DOMINO FRIDERICO**  
**WILHELMO,**

REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS BRAN-  
DENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.  
AMPLISSIMO SENATU ACADEMICO DECERNENTE,  
IN ACADEMIA REGIA REGIOMONTANA,

**PRO LOCO**

Professionis in Theologia Extraordinariæ,  
publicæ Eruditorum ventilationi submittit.

**CHRISTIANUS MASECOVIUS,**

S. Th. Doct. & Prof. Extraord. designat. Confist. Samb. Regii  
Confiliar. Pastor Ecclef. Lœbniens.

*RESPONDENTE*

**SAMUELE AHL,**

Schol. Cniphof. Con-Rect. & S. Minist. Cand.  
IN AUDITORIO MAJORI,

*Ad d. Aug. A. MDCC X boris solitis.*

*REGIOMONTI Literis REUSNERIANIS.*

AUGUSTISSIMO, SERENISSIMO  
ATQUE POTENTISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO,**  
**REGI PRUSSORUM,**  
**MARCHIONI BRANDENBURGICO,**  
S. R. I. ARCHI-CAMERARIO ET ELECTORI,  
SUPREMO ARAUSIONIS ET NEOCOMI  
PRINCIPI,  
MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIACI, MONTIUM,  
STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VINI-  
DORUM ET MEGAPOLIS, ITEM IN SILESIA, GROSNÆ  
DUCI,  
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,  
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI,  
VANDALIÆ, SVERINI, RACEBURGI & MEURSÆ,  
COMITI HOHENZOLLERIÆ, RUPINI, MARCÆ,  
RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI,  
LINGÆ, SVERINI, BURÆ & LFERDAMI,  
MARCHIONI VEHRAE & VLISSINGÆ,  
DYNASTÆ RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGARDIÆ,  
LAUENBURGI, BUTOVIAE, ARLAIÆ AC BREDÆ, &c. &c. &c.

*Regi ac Domino suo longè clementissimo*

Hanc Disputationem inauguralem in humillimæ  
subjectionis & gratæ mentis signum, cum vo-  
to exoptatissimæ Regiæ prosperitatis omnis,  
ea quæ par eft devotione consecrat  
CHRISTIANUS MASECOVIUS D.


A quando hic de Voluntate Adami, in qua omnium hominum voluntas posita fuit, acturi sumus, nequaquam intelligimus unice Adamum, exclusâ ipsius uxore Evâ, sed ad utrosque respicimus Protoplastos. Uterque DEum offendit, uterque à suo creatore descendit, uterque primam & secundam tabulam transgressus est, uterque voluntariè id fecit, uterque divinum honorem appetivit, uterque sacrilegium commisit, uterque temporali & aeternæ morti adjudicatus est, uterque verò eriam eodem Christi àvtrę redemptus, neque plus laboris Christo mulieres quam viri exhibuerunt. Peccatum, itaque mortale uterque commisit, neque est, quod alter alteri exprobret, &c. Salom. Gesnerus sup. Gen. Disp. III. Quæst. XVI. p. m. 88. Nimirum à potiori volumus esse factam denominationem, sicuti idem facit Apostolus, inquiens: *Quemadmodum per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes vivificabuntur.* I. Cor. XV. v. 22. Ubi tām Ewam quād Adamum intelligit, velut alio in loco explicat Ambrosius hisce verbis: *Ut quia Adam unus i. e. Eva, & ipsa enim Adam est, peccavit in omnibus, ita unus Christus Filius DEi peccatum vicit in omnibus.* Comment. Epist. ad Rom. Cap. V. Tom. V. p. m. 191. A. Sensus verò hujus nostræ assertionis hic est: Adamum fuisse, à cuius voluntate dependit omnium voluntas, vel, Adamum in paradyso fecisse ac voluisse id, quod omnes homines, si in paradyso ejus loco fuissent, fecissent ac voluissent, ita ut dici possit: Expulsi sumus ex horto Eden, quia peccavimus, mansissemus in statu integratatis, nisi DEi præceptum in eo transgressi essemus, quia, ut Augustinus loquitur, *omnes homines fuere ille unus homo, nempe Adam.* Lib. de Peccat. Merit. Cap. X.

§. II.

Dissentientes hac in re habemus admodum multos, ex quibus aliquos tantum huc juvat apponere. I. sunt Pelagiani. Hos stringit Lombardus Lib. II. Distinct. XXX. Lit. C. sic scribens: *Hoc malè senserunt quidam heretici, qui dicti sunt Pelagiani: de quibus Augustinus in Libro de Baptismo parvolorum commemorat, dicens; Scendum est, hereticos quosdam, qui nominati sunt Pelagiani, dixisse, peccatum prime transgressionis in alios homines non propagatione, sed imitatione transisse.* Unde etiam in parvulis nolunt credere per baptismum solum originale peccatum, quo in nascentibus nullum omnino esse contendunt. II. Sociniani, & quidem ex principalibus nominandi veniunt, qui similiter à nostra mente planè abeunt, statuunt enim homines non in voluntate Adami peccasse, sed sese ipsos corrupisse. Ita namque Socin Praelect. Cap. V. inquit: *Quoniam igitur concedimus in plerisque hominibus, non quidem propter peccatum primi parentis, sed propterea, quia homines paulatim degenerarunt, & se ipsos corruerunt, innata quodammodo esse magnam ad peccandum proclivitatem &c.* Et Smalz contra Franz. p. 416. Arbitrium in homine liberum esse. Nam cō ante lapsum prædictus fuit, & id per lapsum non amisit, id est, voluntas præstandi DEi voluntatem in hominibus naturaliter inest plerumque: *Vires autem valde sunt exiguae ad præstantiam, non ob primi parentis peccatum aut corruptionem propter illud in nos transfusam, sed ob depravationem hominum voluntariam.* III. Arminiani quoque ex eorum numero sunt, nostræ qui contradicunt assertioni. Nam docent, Peccatum Adami imputari posteris ejus, quatenus Deus eandem poenam, quæ Adamo propter peccatum irrogata, in posteros ejus transfire permisit, quâ doctrinâ omnino negatur, omnium hominum voluntatem fuisse in Adamo peccante. Ipsa verò doctrina eorum habetur in A-pol.

pol. Cap. VII. fol. 84. Fatentur Remonstrantes peccatum Adami à DEo imputatum dici posse posteris ejus, quatenus DEus posteros Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum obnoxium sē reddidit, obnoxios nasci voluit, sive quatenus DEus malum, quod in pænam Adamo inflictum fuerat, in posteros ejus dimanare & transire permisit. -- At nihil cogit eos dicere peccatum Adami posteris ejus sic suffuisse à DEo imputatum, quasi DEus posteros Adami reverā censuisset ejusdem cum Adamo peccati & culpe, quam Adamus commiserat, reos.

### §. III.

Hicce verò & omnibus aliis, quotquot hāc in re eodem aut aliō modō à nobis dissentunt, opponimus ante omnia ipsum Spiritus S. dictamen. I. enim rotundè inquit Paulus: *Per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pervasit*, ἵνα πάντες ημαζον. Rom. V. v. 12. Si verò in Adamo omnes peccaverunt, necessarium est voluntatem peccandi omnium hominum in Adamo fuisse, quia sine voluntate peccatum non potest committi. Sed non solum Sociniani excipiunt contrà explicationem horum verborum, ἵνα πάντες ημαζον, non in quo, verūm quatenus omnes peccaverunt, reddentes; Verūm vel Erasmus Roterodamus in Novi Testamenti Græco-Latini Editione sua A. 1673. Francof. ad Moenum excusa, vertit hæc verba per: *quatenus omnes peccaverunt*. Et quanquam eandem phrasem alio in loco secundum nostram sententiam explicet, nimirum Marc. II. v. 4. verba: ἵνα παρελυτός κατέκειτο, reddat, in quo paralyticus decumbebat; tamen in ipsa paraphrasi in univers. Epistolas Apostolorum & in specie super hunc locum, ad Rom. V. v. 12. explicatio horum verborum suspecta nobis omnino videtur. Ita enim inquit: *Quemadmodum per unum Adam, qui primus prætergressus est DEi præscriptum, peccatum ir-*

repsit in mundum, peccatum autem mortem comitem secum traxit, quandoquidem peccatum anime venenum est; atq. ita factum est. ut malum à Principe generis ortum, in universam posteritatem dimanaret, dum nemo non imitatur primi parentis exemplum: Ita per unum Christum, in quo renascimur &c. Nam minus congruum nobis videtur, dici posse neminem non imitari primi parentis exemplum, quippe imitatio alicujus rei, illius sine dubio cognitionem presupponit; sed non omnes homines peccatum Adæ cognoscunt, e. g. Gentiles, qui revelationes de Adamo divinas rejiciunt, nec non infantes, in quibus nulla vis ad cognitionis sita est, & tamen tam in his quam illis peccatum Adæ est, nempe peccatum originale. Ut ergo hoc non sit per imitationem, sed quod in Adamo omnes homines peccaverint. Socinianis verò, quia suâ explicatione hujus dicti peccatum originale tollere conantur, rectissimè occurrit Brochmannus, sic inquiens: si vel maximè concedamus, admitti posse & debere Φερωνικὴ φύση interpretationem Socinianam: nihil tamen vel hac ratione decedit nostre sententiae. Si enim moriuntur omnes, quia omnes peccaverunt; & certum est, infantes alvo materna adhuc inclusos aliquando mori, quos tamen nullò peccato actuallī infectos esse sat constat: quis non hinc de facili concluserit, quod præter peccatum actuale detur peccatum quoddam congenitum? In Syst. Univers. Theol. Tom. I. de Peccat. Cap. VI. Quæst. V. p. m. 449. Col. I. cui explicationi adjicimus, illud peccatum non alia de causa congenitum esse posse, nisi quia homines ipsis in Adamo peccaverunt. II. Eodem Cap. V. ad Rom. v. 19. hæc habentur verba: Per inobedientiam unus hominis peccatores constituti fuimus multi (omnes.) In quibus verbis Apostolus tam Adamum quam omnes homines afferit (1) esse peccatores (2) per unum idemque medium, nempe inobedientiam factos esse peccatores. Ex quo hoc omnino sequi

sequitur: Si omnes homines per inobedientiam Adæ facti sunt peccatores, inobedientia verò actus voluntatis est, sequitur indubitato omnium hominum voluntatem fuisse in Adæ inobedientia & voluntate.

§. IV.

Sed & rationibus ex S. Scriptura desumptis res confirmari potest, ex quibus prima desumpta sit à pœna peccati, quæ est I. mors, illicò ab initio dictitata hisce verbis: בַּיּוֹם אֲכָלְתָּי מֵתָּה תִּמְתֹּה *Quocunque die comedeleris ex eo, morte morieris.* Gen. II. 17. Quæ ultima verba explicuit Symmachus Τυντός ἔσῃ mortaliseris, sicuti & Hieronym. Augustin. aliique, II. Varia afflictio & miseria, qyam indicavit DEus, ubi dixit Adamo: *Quia comedisti ex arbore, quam precepi tibi, ... maledicta sit terra propter te, in erumna comedes ex ea, cunctis diebus vita tua.* Gen. III. 17. Ex quibus tale argumentum potest construi: *Quibuscumque ipsa pœna voluntatis perverse Adamitica inficta est, illis quoque in Adamo ipsa perversa voluntas Adamitica adscribenda est.*

*Atqui omnibus hominibus ipsa pœna voluntatis perverse Adamitica inficta est.*

*Ergo omnibus hominibus in Adamo ipsa perversa voluntas Adamitica adscribenda est.*

Major sane certissima. Enim verò justitia divina ea est, quæ pœnam sine culpa in homines transferre non potest. Expressè enim Propheta: *Filius non portabit iniuriam patris.* Ezech. XVIII. v. 20. multò minus divinæ justitiæ congruum esse potest, ut totum genus humanum ob peccatum Adæ ceu peregrinum peccatum sine propria culpa luat, sed sequatur necessum est: si totum genus humanum luat ob peccatum Adæ, Adamitici peccati quoq; esse particeps. Sanè rem subolferē, utut tenuiter tantum, vel ipsi saniores quidam Ethnici.

De quo argumento pulchrè differit Huetius Lib. de Concord.  
Rationis & Fidei Lib. II. Cap. IX. p.m. 165. hunc in modum:  
*Eisi primi parentis peccatum ignoraverunt Ethnici, ex humane  
tamen naturæ conditione judicarunt, insontem non esse, qui tot æ-  
rumnis esset addictus. Admissa itaque in superiore aliqua vita  
crediderunt peccata ab eo, qui ab ipsis vita initis ad labores &  
molestias damnatus videretur.* Hinc tām latē propagata est opis-  
nio de animarum ~~πενταρχεία~~. Hinc σάμα dictum creditur  
vana antiquitas, quasi σάμα; quod in corpus tanquam in  
sepulchrum detrusum animum censeret. Hinc paſim invaluit  
fatuum illud commentum μεταφυχώσως, seu potius μετα-  
σωματώσως, in quod totus penè orbis consensit. Consi-  
gnatum id reprehendes in vetustissimis Ethniorum Theolo-  
gicorum, Vatum & Philosophorum monumentis quæ supersunt, Or-  
phei, Pythagoreorum, & Platoniorum; quorum constans est do-  
ctrina, priſinorum delictorum penas in corpore luere animos ho-  
minum. Porro idem autor cit. Lib. & Cap. p. seq. 166. Au-  
gustinum contra Julianum Lib. IV. Cap. XV. de hac re diffe-  
rentem hisce adducit verbis: *Accedere ait ad Christianum do-  
gma, qui errores miserasque humanae vita ad æquum DEi judici-  
um retulerunt; recitatque insigne ex Tullii Hortensio testimonium,  
quo Veteres illos sive vates, sive in sacris initiusque tradendis Deo-  
rum interpres, videri ait vidisse aliquid, cum nos penarum lu-  
endarum causa natos esse dixerunt, ob aliqua in vita superiori sce-  
lera suscepta; verumque esse Aristotelis dictum, sic animos nostros  
cum corporibus esse coniunctos, ut à prædonibus Etruscis corpora-  
viva cum mortuis conjungabantur. Cum alibi dicentem induxis-  
set Tullium, non ut à matre, sed ut à neverca natura editum esse  
hominem in vitam, corpore nudō, fragili, & infirmo; animo an-  
xio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad li-  
bidines; in quo tamen velut obrutus inesset ignis quidam divinus  
mentis,*

mentis; tūm subjungit: Non hoc autor iste male viventium moribus dixit effectum, sed naturam potius accusavit. Rem vidit, causam nescivit. Latebat enim eum, cur esset grave jugum super filios Adam, quia sacris literis non eruditus ignorabat origina-  
le peccatum. Quæ ultima verba Augustini habentur citato Lib. contra Julian. Cap. XII. Plura exempla ejusdem tenoris videri possunt apud Tobiam Pfannerum in System. Theolog. Gentil. purioris Cap. IX. de Peccato §. IV. p m. 251. & seqq. Sed quæ in hac materia Gentiles tenuiter & dubitanter, ea-  
nos copiosissimè & clarissimè ex S. Scriptura ad confirman-  
dam majorem nostram propositionem apponere possumus. Minor verò propositio vel sole meridiano clarior est. Nullus enim mortalium à poena peccati Adamitici exemptus est, quæ pulcherrimè exprimitur à Syracide Cap. XL. v. i. & seq.  
*Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave*  
super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usque in  
diem sepulturae, in matrem omnium. Cogitationes eorum, &  
timores cordis, ad inventio expectationis, & dies finitionis. A re-  
sidente super sedem gloriosam usque ad humiliatum in terra & ci-  
nere. Ab eo, qui uititur hyacintho & portat coronam, usque ad  
eum, qui operitur linō crudō: furor, zelus, tumultus, fluctuatio &  
timor mortis, iracundia perseverans & contentio. Hinc quām  
maximè notabilis locutio Ambrosii, qui inquit in Comment.  
II. Corinth. IV. *Adam forma mortis est.* Inde juxta eum ex  
hoc licet concludere: Si Adam forma mortis est, cui libet ve-  
rò homini & mors & forma mortis competit, sequitur ad  
unumquemque etiam Adamum peccantem, sive Adami pec-  
cantis perversam voluntatem pertinere.

§. V.

Secunda ratio peti potest ab Analogia primi & secundi  
Adam,

*Adami*, qui est Christus JESUS. Veluti enim hic fuit in reparatione generis humani, ita ille in destructione ejusdem, juxta allegatum dictum Apostoli: *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti fuimus multi; ita per obedientiam unius justi constituentur multi.* Rom. V. v. 19. Nimirum I. Sicuti Justitia Christi dicitur nostra justitia, quā salvamur, secundum Pauli assertum: *Vos estis in Christo JESU, qui factus fuit nobis sapientia à DEO iustitiaque, & sanctificatio & redemptio.* I. Cor. I. 30. ita sequitur statuendum esse, peccatum Adæ nostrum peccatum esse, quō damnatur. Quippe, veluti in modo allegato dicto Paulus regenitis omnem gratiam in Christo addicit; sic ex opposito filiis Adæ irgenitis omnis damnatio in Adamo addici potest hunc in modum: *Vos estis in Adamo, qui factus fuit nobis insipientia à serpente, diabolo, iustitiaque & profanatio & damnatio.* Hinc quām maximē appositi August. *Quisquis contendit, humanam in qualibet etate naturam, non indigere medicò secundò Adam, quia non est vitiata primo Adam; non in aliqua questione in qua dubitari vel errari salva fide potest, sed ipsa regula fidei, quā Christiani sumus, gratia Dei convincitur inimicus.* de PeccOrig. Cap. XXIX. II. Nemo potest in JESU Christo esse, ejusque sapientiam, justitiam, sanctificationem & redemptionem suam facere, nisi per propriam fidem. Nam si requiritur, ut *justus ex fide vivat* Rom. I. 17. Gal. III. II., sequitur necessariò, propria & non aliena in ipso sit fides. Ex quo verò rursus hoc fluit consequarium: Ergò nemo potest in Adamo esse, ejusq; insipientiam, iustitiam, profanationem & damnationem suam facere, nisi per propriam culpam. Quod cum fieri non possit sine voluntate, sequitur omnium hominum voluntatem in voluntate primi hominis peccantis positam fuisse.

§. VI.

§. VI.

Sed ratio hæc ab analogia primi & secundi Adami de-  
sumpta, objectiones varias admittere videtur. Videlicet I.  
Justitia nostra in Adamo secundo, JEsu Christo est per *Imputa-  
tionem*, sicuti vel decies Cap. IV. ad Roman inculcatur. Er-  
gò ad eundem modum quoque peccatum in *Adamo primo erit  
per imputationem*, quô modò verò opus non est, in ipso actu  
peccandi Adæ fuisse omnium hominum voluntatem, quia &  
citra culpam ista imputatio fieri potest, quemadmodum ju-  
stitia Christi fidelibus imputatur citra meritum. Sed respon-  
demus: I. Concedimus peccatum Adæ in *omnibus hominibus esse  
per imputationem ad eundem modum*, quô dicitur esse per generationem  
*proplantatum*, sicuti testissime Balduin. in Comment.  
sup. Cap. V. ad Rom. Peccatum originale in Adamo fuit actua-  
le, transgressio nimis præcepti de arbore prohibita: in nobis au-  
tem est originale, quia per generationem naturalem nobis communi-  
fit, & cum naturæ nostræ origine incipit, tamen negamus istam  
imputationem per generationem esse citra meritum. Quippe illud à justitia & bonitate DEi quam maximè alienum est  
Verùm quia in Adamo omnis homo peccavit, hinc quoque  
omni homini peccatum non alienum sed proprium est impu-  
tatum. Quam luculentissimè hanc in rem argumentatur  
Meisnerus in Confid. Theol. Photin. Cap. V. de Ignorant. &  
Errorib. Levior. p. m. 701. Qui peccatum odit & prohibet, is  
decernere nequit, ut totum genus humanum inficiatur peccato, pro-  
pter unicum malum actum. Sed DEus peccatum odit ac prohibet.  
Ergò decernere non potuit, ut totum genus humanum inficeretur  
peccato, propter unicum malum actum Adami. II. Tenendum  
est, ex culpa & citra meum esse opposita, qua hic rem no-  
stram non destruunt, sed adstruunt, hincque quam optimè  
locum

locum habent. Nimirum in Adamo secundo, IESu Christo, fit imputatio justitiae citra meritum, quia ex purâ gratia: Sed in Adamo vel ab Adamo primo fit imputatio injustitiae ex merito, quia est ex indubitate culpa. II. Objici potest: In Adamo secundo non fuit omnium hominum voluntas recipiendi justitiam. Ita namque Salvator: *Jerusalem, que occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miseri sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisis.* Matth. XXIII. v. 37. Ergo neque in Adamo primo fuit omnium hominum voluntas amittendi justitiam sive imaginem DEi. Sed respondeatur, nullam esse & hic consequentiam. Nam in utroque dispar ratio. Enimvero, in Adamo secundo, IESu Christo non fuit consensus Voluntatis omnium hominum cum ipso Adamo, Christo, hac de causâ, quia Christus Adamus secundus *Iesus Christus* fuit, qui non nisi sanctam & misericordia plenam voluntatem habere voluit & potuit erga omnes homines, juxta ipsius effatum: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos.* Matth. XI. v. 28. At homines, quibus voluntas hæc Christi universalis offerebatur, corrupti erant propriâ malitiâ, hincque mirum non est, si aliqui, immo multi voluntati Christi repugnaverint, sicuti in specie ad Judæos Stephanus: *Duri cervice & incircumcisâ corde & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.* Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi illius, cuius vos nunc proditores & occisores fuistis. Act. VII. v. 51. 52. At in Adamo primo, peccatore, consensus fuit Voluntatis omnium hominum cum ipso Adamo hâc de causâ, quia Adam primus merus homo erat, & in Adamo hoc quoque omnes homi-

homines meri homines, ut facile in malo consentientes esse  
potuerint. Quibus ita adductis, manifestum fit, ratione  
tantæ disparitatis consequentiam allegatam omnino irritam  
reddi. Pulchrè in nostram descendit sententiam modò alle-  
gatus Balduinus locò citatò, tūm quoad collationem Adami  
primi cum secundo, tūm quoad discrepantiam inter utrum-  
que, utut tantùm sub generalioribus terminis, hisce verbis:  
*Occurrunt autem in ista Collatione quedam paria, quædam im-  
paria in Christo & Adamo. Pares sunt in eo, quod Adam & Christus  
versus & unus homo, quod uterque stirpis rationem obtinet, quod-  
que omnes homines aliquid ab ipsis accipiunt. Impares sunt 1. par-  
tim respectu personæ, 2. partim respectu ejus, quod conferunt 3.  
partim respectu medii seu modi, quo conferunt, 4. partim respectu  
finis, cuius gratiâ conferunt.* H. I. Hincque nos pari modò  
dicimus; quatenus Adamus primus & secundus pares sunt,  
& uterque stirpis rationem habet, à primo omnium hominum  
damnationem per propriam voluntatem assumptam depend-  
dere, à secundo verò omnium hominum salutem per propri-  
am fidem assumptam pervenire, quatenus verò impares sunt,  
à primo omnium hominum damnationem ortum habere, in  
secundo verò non omnes homines salutem assumere.

### §. VII.

Jam explicandum sequitur, QVOMODO Voluntas  
omnium hominum posita fuerit in Adamo, cum tempore  
Adami nondum omnes homines extiterint. Circa quam-  
quæstionem variæ explicationes videntur locum habere.  
Primùm adduci potest *physica explicatio*, positam nimis rūm  
fuisse omnium hominum voluntatem in Adamo cœu in stirpe

*vel in radice. Sic loqui amat Cyrill. Alexandrinus Comment.*  
in Evangel. Johann. Lib. VI. Cap. XV. *Cum peccato originali,*  
*inquit, nascimur, & gravissima cæcitatem depresso in mundum ve-*  
*nimus: quam quidem cæcitatem de radice primi Parentis contra-*  
*ximus. Ambrosius verò explicat, voluntatem omnium homi-*  
*norum fuisse in Adamo quasi in massa, ita enim ille: Manife-*  
*stum itaq. est in Adam omnes peccasse quasi in Massa. Ipse enim*  
*per peccatum corruptus quos genuit, omnes nati sunt sub peccato.*  
*Ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex ipso sumus omnes. Com-*  
*ment. in Epist. ad Roman. Cap. V. Lib. A. p. m. 191. Et omni-*  
*nō putamus, utriusque explicationem tām à stirpe & radice*  
*desumptam, quām etiam à massa acceptam, ratam esse ha-*  
*bendam. Nimurum veluti (1) in radice posita est tota arbo-*  
*ris substantia, tanquam in suo principio; ita totum genus hu-*  
*manum arboris ad instar sese habet, cuius radix & principium*  
*est Adam, in quo totum genus humanum situm est. (2) Ve-*  
*luti à stirpe vel radice dependentiam suam habent ea omnia,*  
*quæ exinde progerminant; ita quoque ab Adamo ceu radice*  
*totum genus humanum suam habuit dependentiam. (3) Veluti*  
*sublata radice, omnia ista pereunt, quæ in ea latebant, contra*  
*verò ista conservatā, omnia conservantur, quæ in illa latent:*  
*Ita stirpe vel radice, Adamo pereunte, totum genus huma-*  
*nūm pereat necessum est, illa verò si substituat, totum genus*  
*humanum fuisset conservatum. Pulchrè in nostram descen-*  
*dit sententiam Meisherus in Considerat. Theolog. Photinianæ*  
*Cap. V. de Ignorant. & erratis levioribus p. m. 699. & quidem*  
*hunc in modum: Ade peccatum non fuit personalis, sed univer-*  
*salis, & totius humani generis actus, quod in Adamo extitit velut*  
*in communī stipite, adeoq. una in ipso peccavit & mortuum est.*  
*Et dem quoque modo in voluntate Adami ceu in massa fuit*  
*totius*

totius generis humani voluntas. Quemadmodum enim (1) ex Massa prodit ordo quidam, ita ex Adam ceu ex massa genus humanum. (2) Duplex statuitur mundus, macrocosmus & microcosmus, hic homo, ille est hæc universitas latissimas terram, aquam, aerem &c. continens. Jam verò vel ab ipsis ethnicis creditur, hanc universitatem esse ex massa aliqua, vi divinæ omnipotentiæ productam, quam Chaos appellant. Ita quippe Poëta:

*Ante mare & tellus. &, quod tegit omnia, cælum,  
Unus erat toto Natura vultus in orbe,  
Quem dixerè Chaos, rudis indigestag, moles;  
Nec quicquam, nisi pondus iners; congestag, eodem  
Non bene junctarum discordia semina rerum.  
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan;  
Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe;  
Nec circumfuso pendebat in aere tellus  
  
Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,  
Lucis egens aér  
Hanc DEus, & melior litem Natura diremit.  
Nam cælo terras, & terris abscidit undas:  
Et liquidum spissò secrevit ab aère cælum.  
Quæ postquam -- Ovid. Metamorph. Lib. I. Fab. I.*

Cujus & aliorum ethnicorum Chaos sive massæ mundi descriptionem, rectissimè judicat à Mose descriptam esse, Tobias Pfau, in System. Theol. Gentil. Purior. de Creat. Cap. V. §. 5 cum Augustino de Civ. DEi. VIII. ii. Sicuti verò omnes mundi partes in Chao fuisse creduntur; ita quoque tutissimè afferere

possimus, omnes homines in Adamo *ceu* in massa latitasse, vel extitis, hincque in eadem quoque ipsos peccasse. Ubi-riùs rem quām doctissimè explicat D. Andreas Rivetus in Disput. de Peccato Origin. Thes. XI. Efficiens hujus peccati causa est primorum parentum lapsus, quō justò DEi judicío reatus & pravitas naturae attracta est, & in totam posteritatem trans-fusa. Quia enim in paradiſo duplēc Adam gerebat personam, cum suam ipsius, tūm totius posteritatis, CUGUS SUSTINEBAT MASSAM; etiam peccatum ejus geminum habuit respectum; tūm ad ipsum, & sic erat personalis & actualis ipsius transgresio, non propriè originalis sed originans, seu originem præbens omnibus aliis peccatorum effectibus: tūm ad totum posteritatis genus, quod in lumbis ejus latens una peccabat, ut Levi decimatus fuit, dum esset in lumbis Abrahāmi patris sui Heb. VII. v. 8. & 9. & ita fuit universalis culpa seu peccatum universale & naturæ totius vel speciei, in omnes homines generatione derivandum, ad quos in Adamo sententia illa directa fuerat; Quacunq; die comederis de fructu &c. morte morieris. Gen. II. v. 17.

### §. VIII.

Deinde *Politica Explicatio* videtur posse adduci, quā dicendum, omnium hominum voluntatem positam fuisse in Voluntate Adæ, *ceu* in Plenipotentiario hominum omnium. Quemadmodum enim Plenipotentiarius decernit ea, quæ tota regio cupit, & indè in nomine totius regionis decernit, ita, ut quod tali modō decretum est, toti attribuatur genti; Sic pariter Adam *ceu* Plenipotentiarius totius generis humani, nomine totius generis humani in paradiſo fecit, quod fecit, nempe de arbore vetita comedit & sic legem DEi transgressus est  
*ceu*

ceu Plenipotentiarius nomine omnium ac singulorum hominum, ut indè meritò ista Plenipotentiarii transgressio toti genti humanæ adscribatur. Quam explicationem amplecti videtur B. Gerhardus, qui sic inquit: *Mors pertransiit in omnes homines, quia omnes peccaverunt, id est, quia Adamus humani generis parens, omnium posteriorum, qui per carnalem generationem ex ipso descendunt, personam representans peccavit, qui ad divinam imaginem conditus, non tantum pro se, sed etiam pro tota posteritate dona illa accepit.* Cap. IV. de Peccat. Origin. §. 63. Si enim non tantum pro se, sed etiam pro tota posteritate dona imaginis divinae Adam accepit, cum hisceque donis peccavit; sequitur quoque omnes homines in ipso ceu in Plenipotentiario dona divina habuisse, eadem per peccatum amisisse, ut ergo tali modò peccatum Adæ omnino adscribendum sit toti generi humano. Alii Theologi quoque eandem nostram amplectuntur explicationem, utut verbis paulò aliis. *Peccatum Adami ut cause meritorie imputativè nostrum dici meretur* (1.) *ex parte ipsius Primiplasti, qui unicà legis ruptione omnes posteros, cum culpa tūm pæne implicuit, & ut representator, fons, caput & seminarium totius naturæ humanae suam illis labem adspersit.* (2.) *ex parte seu respectu DEi, ut judicis, qui jure summo crimen lœse Majestatis divine etiam in posteris, utpote in Adamo lapsis, carentia justitie originalis punit;* atque ita peccatum Adamiticum justissimè illis ad damnationem imputat, inquit Quensted. System. Theol. Part. II. Cap. II. de Peccat. Sect. I. p. 53. col. II. in fine. Balthasar Meissnerus verò citatō locō p. 699. hunc in modum nobis stipulatur: *Adam hic consideratur non ut persona singularis, sed potius ut parens cunctorum hominum, cui rectitudu sub hac conditione fuit concreata & concredita, ut sibi & posteris eam reineret,*

ſe

*si non peccaret, quamprimum verò vel unicō tantum actū transgressurus esset legem Domini, mox amissum iri ob unicum istum malum actūm concreatam rectitudinem & successuram mortem in animā & corpore, quoad Adamum & totam ejus posteritatem.* Quorum ita & aliorum Theologorum explicatio hujus rei, idem ac nos, intendit, nempe in Voluntate Adami omnium hominum voluntatem fuisse, ceu in Voluntate Plenipotentiarii totius generis humani.

### §. IX.

Ne verò hic Plenipotentiarius toti generi humano videatur obtrusus, eo quod ante alios homines omnes peccator extiterit, addendus hic *consensus cum eo in omnibus hominibus, quem Deus vi divinae omniscientiae jam indè ab aeterno prævidit.* Nimurum, sive Adæ loco fuisset in paradyso pius Abraham, sive Moses cordatus, sive Daniel devotus, aut Josephus castissimus, vel quicunque alius, idem ex hisce quilibet fecisset, quod fecit Adam. Id quod DEO omniscio non nisi planum atque perspicuum esse potuit, quippe discretori cogitationum & intentionum cordis. Noc est ulla creatura, que non manifesta sit in conspectu illius: sed omnia nuda & resupinata oculis ejus, ad quem nobis est sermo. Hebr. IV. 12. 13. Hincque hujus respectu nequaquam Adam plenipotentiarius obtrusus, sed potius, cum quo consensit genus humanum, dicendus erit. Inde est, quod Augustinus docet, puerulos ex voluntate Adæ contraxisse voluntatem suam peccandi. Ita inquit: *Illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur libero arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam voluntarium; quia ex primi hominis voluntate contractum, rationem*

etem habet voluntarii. Non itaque falsum est, quod dixi, usque  
ad eō peccatum esse malum voluntarium, ut nullo modō sit pecca-  
tum, nisi sit voluntarium, Lib. I. Retract. Cap. XIII.

S. X.

Hec vero Adami voluntas, in qua omnium hominum  
voluntas posita fuit, suos habet limites. Nimirum, distin-  
gendum est inter Actionem ad generalem sive universalem &  
personalem, hanc quam suo tantum nomine, illam, quam no-  
mine totius generis humani peregit. Atque juxta hanc di-  
stinctionem tenendum est, in Voluntate Adami, quā actiones  
generales peregit, voluntatem totius generis humani positam  
fuisse, minimè verò in voluntate Adæ, quā actiones persona-  
les sustinuit. Conditionem Adami universalem quod concer-  
nit, circa eandem QVINQUE omnino observanda esse puta-  
mus. I. Adamo intellectum illuminatum & simul Volunta-  
tem DEO conformem DEum concessisse, utrumq; simul uni-  
verso generi humano in Adamo collocasse. Hoc enim abun-  
dē constat ex verbis divinis, quae omnium rerum creator,  
divinum Numen, post creationem rerum cunctarum eloquie-  
batur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem no-  
stram: & praesit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, u-  
niversaque terra, omnique reptili, quod moveatur in terra. Et  
creavit DEus hominem ad imaginem suam: ad imaginem DEi cre-  
avit illum, masculum & farniam creavit eos. Benedixit illis  
DEus & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram & sub-  
jecite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, &c.  
Gen. I. v. 26. 27. ubi imago DEi non Adamo, sed omnibus  
hominibus, nempe intellectus illuminatus voluntasque cum

C

DEi

DEi voluntate maximè conformis , assignatur. Ad homines enim , imagine divina præditos , suam dirigit orationem , eosdemque vult ut crescant & multiplicentur in imagine Dei , ad quām expressè homines revocat Paulus , sic inquiens : *Induite novum hominem , qui secundum DEum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Ephes. IV. 24. Sic quoque Clemens hic non intelligit unicè protoplastos , sed simpliciter hominem. Ita quippe Lib. VII. Const. Apost. Cap. XXXV. *Finem fabricationis , animantem rationis participem mundi cīvem , sapientia tua & moderatione fecisti , cum dices :* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram : *fecisti , inquam , ut esset homo corpus κορμός , id est , ornatus ornatūs , cūjus corpus ex quatuor elementis primis corporibus formasti , animam verò ex nihilo , ac sensus quinque ad certamen virtutis dedisti , & mentem ipsius animae , tanquam aurigam sensibus p̄fecisti.* Sicque secundum hæc dici potest , in Adamo primūm omnes homines accepisse à DEo voluntatem DEo conformem , quā potuere perpetuam supremo rerum moderatori obedientiam p̄stare. II. Afferere possumus , per aliquod temporis spatiū , ut illud certò determinari non possit , & Adami & in Adamo simul omnium hominum voluntatem secundum legendū DEi p̄scriptum sese habuisse. Colligi potest hoc exinde , quod ante lapsum de utrisque dicatur : *Erat uerque nudus , Adam scilicet & uxor , & non erubescabant.* Gen. II. v. 25. quippe non erubescere certissimum signum erat status integratatis & rectitudinis voluntatis. III. Veluti Adam nomine omnium hominum exactissimam voluntatem à DEO accepit , eādem per tempus coram DEO rectissimè vixit ; ita quoque ipse & in eo omnes homines voluntatis rectæ inconstiam contestati sunt , legemque divinam de yetita arbore temere

merè transgressi sunt. Sed hic obstatre videtur locus ad Ro-  
man. V. v. 14. Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in  
eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.  
Si enim in similitudinem prævaricationis Adæ alii homines  
non peccavere, sequitur in lapsu Adæ omnes homines per-  
versam voluntatem non esse contestatos. Sanè turbavit lo-  
cus hic nonnullos, Originem, ut vocabulum *Non* omiserit,  
alios verò, ut varià explicatione dictum hoc Pauli emollire,  
laboraverint. *Vel 1.* qui non transgresisti sunt mandatum illud  
de ligno vetito, *vel 2.* similiter ut Adam, id est, tam graviter,  
is enim sciens & prudens peccavit; qui non peccarunt contra ex-  
pressum mandatum. *Vel 3.* qui non peccaverunt suo opere, &  
in se, sive in sua persona, *vel propria voluntate, vel actualiter.*  
Sicuti hæc ex Chrysost. Theodoret. Toleto, Pererio aliisque  
adducit Polus in Synopsi Criticorum al. S. Script. Interp.  
Comment. suprà hunc locum ad Rom V. 14. Sed nodus hic  
quam facillimè solvi potest. Nimirum, observandum est,  
peccatum, quod fuit in Adamo actuale, utpote actu contrà  
mandatum DEi directum, fuisse in posteris hominibus origi-  
nale, Adamo origine, in omnibus hominibus per propri-  
am voluntatem existens. Hinc quando Apostolus inquit,  
regnasse mortem etiam in eos, qui non peccaverunt in simili-  
tudinem prævaricationis Adæ, non vult dicere, qui non trans-  
gressi sunt legem Domini de vetita arbore. Quippe tali mo-  
dō sibi contradiceret, ubi dixit ante, v. 12. in Adamo omnes  
peccasse; aut sicut dicit v. 19. per inobedientiam unius hominis mul-  
tos peccatores factos esse, qualis verò contradictione nequaquam  
tali viro à Spiritu Sancto immediate factio assignari potest.  
Sed hoc efferre cupit, qui actualiter non peccaverunt ad mo-  
dum prævaricantis Adæ. Sicque non denegat posteris Adæ  
pecca-

peccatum Adæ , ceu proprium peccatum, sed tantum  
actualle illud fuisse pernegat. Praclarè nobiscum sentit Hu-  
terus in Explic. Lib. Christianæ Concord. Art. I. de Peccat.  
Orig. p. m. 90.; Subiecit, inquit, Apostolus : Mortem regnare in-  
eos etiam, qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis  
Adami. Minimè tamen omnium his verbis posteros Adami peccati  
originalis expertes constituit : sed diversam tantum rationem pec-  
cati in Adamo , & posteris ejus innuit. In Adamum enim pecca-  
tum non fuit propagatum generatione carnali ; siquidem is non  
agnoscit parentes se priores . Sed per actualem transgressionem pol-  
luit naturam suam. At verò posteri non demum per actum pollue-  
runt naturam ; sed ex nativitate peccatum secum trahunt ; licet  
non comedent ipsi de fructu arboris prohibite. IV. Sed ulte-  
rius conditio Adami universalis extendi potest. Post lapsum  
enim & voluntati Adæ , & in eo omnium hominum voluntati  
oblata est gratia DEI , & restauratio lapsus in hoc Prot-  
Evangelio: Inimicitas ponam inter te & mulierem , & semen  
tuum & semen mulieris : ipsum conteret caput tuum, & tu insi-  
diaberis calcaneo ejus. Gen. III. v. 15. Pulchre hanc in rem  
Chrysost. Homil. de Interdic. Arboris Tom. I. Mors per A-  
dam; vita per Christum: Evans serpens seduxit : Maria Gabrieli  
consensit : sed seducción Eve attulit mortem , consensus Marie pe-  
perit seculo Salvatorem. Restauratur per Mariam, per Evans quod  
perierat : per Christum redimitur, quod per Adam fuerat captiva-  
tum : per Gabrielem promittitur, quod per Diabolum fuerat despe-  
ratum. Quà explicatione Chrysostomus quàm luculentissimè  
innuit, primum hoc Evangelium non solis Adamo ac Eve ob-  
latum esse , sed in iisdem omnium hominum intellectui ac  
voluntati. Observandum verò, Pontificios nonnullos, ex  
quibus etiam est Cornelius à Lapide , hoc Chrysostomi di-

ctum

Etum adducere hunc in finem, ut stabiliant versionem vulgatam in allegato dicto Gen. III. v. 15., quæ voculam ~~Nost~~ explicant per *ipsa*, intelligentes Mariam, & dicimus, eosdem hoc dicto allegati Patris hac in re nihil efficere. Nam equidem dicit, restaurari lapsum generis humani per Mariam, sed *instrumentaliter*, quia Mater Salvatoris, per Christum verò ait redimi genus humanum, *meritorie*, quia suò sanguine redemit, pro eodemque satisfecit, id quod nos quoque dicimus. Sed deniq; V. Adamii conditioni universalij adjicienda *expulsio protoplastorum ex Paradiso*. Gen. III. v. 24. Quippe non Adam solum cum Eva exivit è paradiso, sed in ipsis omnes quoq; homines ad agrū maledictū egressi sunt. Non solū voluntati Adæ dolor hoc exitu est inflig⁹, sed omnibus quoq; hominibus, qui lubentissimè permanissent in hortō adeò salubri atque amoeni. Atq; hucusq; duravit voluntas ac conditio Adæ universalis, post ejectionem è paradiso exspiravit hæc universalitas, & omnes ejus actiones cooperunt esse particulares, quæ personam ejus in particulari respexere, utpotè actio illa voluntatis, quæ Evangelium de capite serpentis conterendo recepit constanterq; servavit, cœterumq; vitam modestam, non tamen sine peccató peregit. Nam si porrò universales fuissent Adæ actiones, sequeretur, veluti in Adamo omnes lapsi sunt, ita quoq; in eodem omnes resurgere, quod tamen ita fesej non habet. *Nam multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. XX. v. 16.

## §. XI.

Neque exinde inferre quidpiam fas est contrà justitiam, aut misericordiam DEI, fortè hunc in modum: *Si Deus in vo-*

luntate Adæ posuit omnium hominum voluntatem, quâ actu lapsi sunt, legemque DEi transgresi: Cur non quoque in voluntate Adæ, quâ hic per fidem de lapsu surrexit, omnium hominum voluntas posita fuit, ut cum Adamo omnes homines resurgerent? An fortè potentius Adæ peccatum, quam misericordia DEi in Christo? sicuti Pelagius. Hæc quippe aliquos tantum complectitur, illud verò ad omnes transit homines. Rom. V. v. 12. Pertransit peccatum, pertransit: Verbum attendite: Quod audivisti considerate: videte quid est pertransit? Inde est & parvulus reus: peccatum non fecit, sed traxit: Etenim peccatum illud non in fonte mansit, sed pertransit: non in illum aut in illum; sed in omnes homines pertransit. Inquit August. Serm. IV. super hæc verba Apostoli. Hæc, uti dictum, neque contrâ justitiam neque contra misericordiam DEi quidpiam faciunt. Sanè non contrâ justitiam DEi. Si enim vel hoc unicè assertamus, homines in Adamo peccantes æternam meruisse peccatum, sanè & asserere poterimus, à justitia divina prætendere nos non posse, ut, veluti in Adamo omnes homines lapsi sunt, ita juxta suam justitiam statuat, omnes homines in Adamo quoque necessario resurgent. Imò à justitia divina planè alienum non fuisset, si DEus post lapsum tam Adamo quam omnibus hominibus, resurgendi copiam denegasset. Nam quicunque tantis donis æternum Bonum laferant, digni quoque evadebant, ut in æternum luerent. Emphaticè Mornæus hac in parte justitiam DEi à sinistro malevolorum judicio vindicat hisce verbis: Est, qui in injustitiam DEi insurgit. Tam levi, inquit, de causa tam graviter hominem punire, quid hoc juris? Imò dic, quid naturâ justius? Et quid magis naturale, quam ut obtenebrescat, quisolemaversatur? aut, ut ait Photinus, deterior fiat, qui ab optimo recedit? At O homo, qui tibi vi-

wideris justior, saltem equior, ipso DEO, quam ipse in filium pænam statuas, non puerum aut minorem annis, sed puberem & mājorem, non inopem, sed locupletem, non famelicum, sed rebus omnibus ad hanc vitam pertinentibus opipare instructum; si ultrè ob rem nihili, animi causa, consulte tibi displicere voluerit? Pone igitur tibi ob oculos Adamum, solā merāque creatoris benignitate in mundum inductum, non nudum, sed universō vestitum: non stupidum, sed egregiā & purā mente præeditum; non appetitus servum, sed cuius appetitus voluntati, voluntas rationi pareat, si velit. Seu peccatum ipsum confideres; rebellionem, infidelitatem, superbiam, seu non peccandi facilitatem, & facultatem attendas; virtutem, libertatem, puritatem, num hoc scilere satis dignas pœnas comminisci queas? de Verit. Christ. Relig. Cap. XVII. m. p. 283. Quæ cum de omni homine dici queant ac debeant, nullò paclō videmus, quod justitiæ divinæ impunitari possit, quod non omnes lapsi in voluntate Adami resurgent. Ita pergit citatō locō modō laudatus Mornæus: At in liberos cur tam severus? cur tam immitis? Quin dic potius; Cur tam misericors ille? cur tam benignus? nempe qui per parentis lapsum humiles facere voluit, ne cādem temeritate ruant. Hæc sufficere possent ad DEi justitiam hāc in parte. Sed porrò adducere possumus: In Adami voluntate posita fuit omnium hominum voluntas ad labendum, DEique legem transgreendiū, non ex voluntate DEi. Quippe Deus Adamum & in eo omnes homines ad perpetuam vitam creaverat, hincque juxta DEi voluntatem, ut in Adamo omnium hominum voluntas posita esset in æternum DEO puritate cordis inserviendi. Hoc verò factum cum non sit, sed ipsi homines in Adamo à DEO desciverint, universalis hominum consensus ad malum ipsis hominibus adscribendus erit. Veluti verò Deus

DEus non voluit, ut in Adamo omnes laberentur; ita contrà voluit, ut in Adamo per oblatum Evangelium omnes resurgerent. Nam Adamo & simul omnibus hominibus illud obtulit. Quod verò Adam consenserit Evangelio, haud ita verò omnes homines, citrà gravissimam blasphemiam iniustitiae divinæ adscribi nequit, sed tota res in hoc consistit, quod in Adamo ad malum contrà DEi voluntatem omnes consenserint, ad bonum verò in eo juxta DEi voluntatem alii consenserint alii dislenserint, sicque perfecta quidem malitia omnium, imperfetta vero resipientia fuerit. Sed neque misericordia DEI hisce in meditationibus pericitatur. Non enim dici potest: Si in Adamo *Justitiā DEI* omnes homines damnati sunt, ergò quoque in eodem omnes *misericordiā DEI* resurgere debent. Nam profectò à misericordiā nullum debitum requirere possumus, sed quicquid ab ea est, citrà omne nostrum meritum est. Si verò hic debitum est, illud homini adscribendum. Nimirum quia in Adamo lapsi omnes legis transgressione, debebant quoque in eodem omnes Evangelium à misericordiā DEi oblatum, fide assumere. Sed cur hoc omnes homines non fecerē? cur peccavérē omnes, omnes verò resipiscere noluérē? Plenissima DEi misericordia, quæ lapsu æternam damnationem merentibus solatium obtulit & restorationem, cur multi illà posthabitá peccata peccatis semper cumulant? Res similitudine declarari potest: Si integræ civitas rebellione adversus principem commerusset, ut extingveretur, hincque omnibus & singulis in civitate degentibus mors esset indicata; Princeps verò misericordiā motus erga tantam subditorum eopiam, signum erigeret, quò nuntiaretur, deprecatus errorē suum rebellionis, fidemque sinceram pollici-

licitaturos fore immunes à promerita poena; aliqui vero  
hanc gratiam Principis reciperent, aliqui haud item; fasne  
tum esset, tantam Principis Clementiam redarguere ob eos,  
qui temerè eam neglexissent? Pari ratione res fese habet, cir-  
ca quam nostra jam versatur meditatio: Totum genus hu-  
manum in Adamo ceu in stirpe legis divinæ transgressione  
promeruit, ut funditus extirparetur. En verò benedictus  
*DEus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est Pater misericordiarum & DEus orantis consolationis*, juxta II. Cor. I. 3. affectu  
paternò motus erga genus humanum, non signum tantum,  
sed realem promissionem obtulit omnibus ac singulis homi-  
nibus, in qua omnes veniam transgressionis conseqverentur.  
Sed arripuit hanc fidem DEi misericordiam Adam, multi verò  
eam neglexere. Quis in culpa? Non DEus profectò. Voluit  
enim ut omnes homines vellent in voluntate Adami recipi-  
re gratiam, noluit verò, ut nollent.

S. XII.

Diceret verò hic quispiam: Cur DEus tantum opus uni  
commisit homini, ut in eo totum genus humanum vel labi  
vel stare posset? Respondetur I. Nimirum curiosum est hoc  
quærere. Tali enim modò vel omnia opera divina refor-  
mare fas esset. Dici namq; posset: Cur DEus instituit, ut una  
species individua omnia ad sui similitudinem generet? ut e.g.  
ab leonibus non nisi leones, ab elephantibus non nisi elephan-  
tes generentur? aut cur DEus quamlibet florum speciem ita  
creavit, ut ex eorum semine sui similes flores semper proger-  
minent? Sanè veluti in hisce nihil reperimus, nisi quod sapi-  
entiae divinæ adscribendum, ita sapientiae divinæ quoque re-  
linquendum, quod primum hominem ita creaverit, ut non  
nisi sui similes generaret, illiq; tali modò commiserit opus to-  
tius generis humani, quod in illo stare ac labi potuit. Non er-

D

gō

gò rimamur sed miramur ac veneramur meritò hoc in punc-  
to DEI sapientiam, ac cum Paulo: *O Profunditatem divitiarum & sapientie & cognitionis DEi, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & imper vestigabiles via ejus!* Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis fuit illi à consiliis? Rom. XI. v. 33 34. Deinde II. hoc quoq; dicere possumus, unicommisissè DEum totum genus humanum, ut illicò ab initio in uno homine Adamo juxta gratiosissimam suam voluntatem divinam felicitatem humanam stabiliret. Hic enim divinæ gratiæ scopus: Posuit Adamum & in Adamo omnes homines in paradiſo, ut in cognitione DEi excellentissima summaque obedientia perpetuò coram DEO viverent. Sed contra scopum ac voluntatem DEi Adamo prævaricanti omnes consensere homines. Indè plane non est, quod conquereramur: Cur DEus tantum opus uni commiserit homini? Ulterius verò excipi posset: Etsi de bonitate DEi erga Adamum & in eo erga omnes homines dubitari non debeat, certum tamen est, DEum pro omniscientia sua prævidisse & Adami & in Adamo omnium hominum præpostaram voluntatem, cur ergò non impedivit? Respondeat pro nobis hoc in casu divus Augustinus, qui nostram in rem sic differit: Sed præsciebat, DEUS, quid eorum factura esset voluntas mala. Præsciebat sancte, & quia falsi non potest ejus præscientia, ideo non Ipsi⁹, sed eorum est voluntas mala. Cur ergo eos creavit, quos tales futuros esse præsciebat? Quia sicut prævidit quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum, quid boni esset ipse facturus. Sic enim eos fecit, ut eis relinqueret, unde & ipsi aliquid facerent, quo quicquid etiam culpabiliter eligerent, illum de se laudabiliter operantem invenirent. Asē quippe habent voluntatem malam, ab illo autem & natura bonam & justam pœnam: sibi debitum locum, aliis exhortationis administrulum & timoris exemplum. Sed posset,

inquiunt, etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posset plane. Cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum est. Debemus enim non plus sapere quam oportet sapere. de Genesi ad Literam Cap. XI. Sed adhuc res pati videtur exceptionem hunc in modum: Nisi Adamo commissa esset omnium hominum voluntas, sed ille pro se tantum lapsus esset, tunc posteri potuissent à lapsu Adæ exemplum capere, ac discere cautius ambulare. Quæ objectio verò, utut roboris multum habere videatur, nihil hujus omnino tamen habet. Nam I. jam ab æterno DEus prævidit, neminem hominum Adamo cautius ambulare velle, sed potius omnes ad similitudinem Adami maximis imaginis divinæ donis abuti. II. Adam tamen cautè vivere coram DEO potuisset, quam cautè potuissent posteri, si exemplum à lapsu Adæ cepissent. Nam tantis donis instruitus erat Adam, quibus & dignitatem præcepti divini, & enormitatem pœnæ transgressionis legis, perfectissimè cognoscere poterat, & tamen labebatur. Vedit verò omnes homines tales futuros DEus, & nisi vidisset DEus, sancè extra culpam eos in Adamo non permisisset perire. III. Unò verbô dicimus: DEum instituisse tantâ sapientiâ rem, quantam humana ratio nequam comprehendere potest, reformatre verò ei nullatenus fas est. Bernhardus Sermon. I. super Domin. I. post VIII. Epiphanius, inquit: *Aliena est culpa, quia in Adam omnes nescientes peccavimus: nostra, qui etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo DEI iudicio imputabatur, licet occulto.* Ecce hic insignis Doctor fatetur hoc in casu suam inscitiam, quâ verò justitiam DEI nequaquam accusat, sed potius rationem suam captivans, pià mente ad DEI justitiam, utut occultam, confugit. Idque ab omnibus requiritur divini nominis veris cultoribus; ut, si quid supra captum esse apparet, iis fundamenti

menti loco sit illud Augustini : *Piæ mentis est, de DEO reverenter loqui & sentire.*

§. XIII.

Denique frustrà opponitur: Sed uni Angelo voluntas omnium Angelorum minimè commissa. Quippe aliqui tantùm angeli lapsi, aliqui verò in sua integritate omnino permansère. Nam *Dominus angelos, qui non servarunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium, ad judicium magni illius duci, vinculis aeternis sub caligine servavit*. Jud. v. 6. Boni Angeli verò sunt *administratorii Spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui heredes erant salutis*. Ebr. I. v. 14. Cur ergò eodem modò cum hominibus actum non est, ut quilibet pro sua actione ad modum angelorum vel gloriam vel poenam conserveretur: Ad quam objectionem variò modò responderi potest. I. Cur ex hominibus, ad modum Angelorum, à DEI præscientia non sunt reperti ulli, qui donis imaginis divinæ uterentur ad perseverentiam in gratiâ DEi? Cur omnes iisdem posthabitibus à Domino suo desciverunt? Nam profectò, veluti angeli multi permansère in suâ gloriâ, ita in eadem omnes homines permanere potuissent. Enimverò, sicuti Angelos omnes DEus ad sui ministerium cum ineffabilibus donis creavit, ita cum iisdem omnes quoque homines, qui omnes ad modum omnium Angelorum potuissent non labi. Et sicuti omnes homines lapsi sunt, ita omnes Angeli labi potuissent, si ad modum hominum libero arbitrio abusi fuissent. Inde Augustinus Libro de Ecclesiasticis Dogmatibus Cap. LXX. *Angeli verò, qui in illa, qua creati sunt, beatitudine perseverant, non natura posident bonum, ut non mutarentur cum cæteris, sed arbitrii servantes bonam voluntatem & bonum conditionis, & fidem suo Domino. Propter quod & meritò ab ipso Domino sancti Angeli vocantur, quod tenuerunt arbitrii sanctitatem,*

rec



nec sociorum exemplo deviarunt. Idem quoque Augustin. de Fide, ad Petrum Diaconum Cap. XXV. hæc de hominibus hoc in puncto effert: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, primos homines, i. e. Adam & mulierem ejus, bonos & rectos, & sine peccato creatos esse cum libero arbitrio, quò possent, si vellent, humili & bona voluntate servire atq; obediens: quò arbitriō etiam possent si vellent, propria voluntate peccare: eosq; non necessitate, sed propriā voluntate peccasse: illòque peccatō sic in deterius mutatam humanaam naturam, ut non solum in ipsis primis hominibus per peccatum mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines transiret peccati mortisq; dominium. Ex tali ergo discrepantia usū vel abusū liberi arbitrii, quæ in angelis ac hominibus fuit, nil quicquam vel contra DEi sapientiam, vel ejus justitiam aut misericordiam inferri potest. II. Utut nobis ignotum sit, quò præcisè peccatō lapsi sint angeli; tamen non dubitamus, principaliorem quendam Angelorum fuisse, qui lapsus est, & cum quo quoque lapsi omnes cœteri angeli, qui lapsi sunt. Hinc notabiliter olim dicturus est Dominus ad damnandos: *Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus es Diabolo & angelis ejus.* Matth. XXV. v. 41. ubi distinctio inter Diabolum & angelos ejus, quod nimirum per Diabolum principalior Angelus, per angelos simpliciter minus principales intelligantur angeli. Et quoque hanc in rem Justinus Martyr pro Christianis Apologia II. p. m. 71. Lit. A. & B. hæc habet: *Apud nos Archidux & Princeps malorum demonum, serpens vocatur & Satanus & Diabolus: si uti ex scriptis nostris, si inquiratis, cognoscere potestis: quem unā cum militia sua & hominibus eum sequentibus in ignem missum, & per seculum infinitum excruciatumiri, premonstravit Christus.* Sicque tali modō lapsus angelorum cum hominum lapsu miram habet convenientiam. III. verò, ineffabilis est DEi misericordia erga lapsum hominem,

30

nem, nulla verò ergà lapsos dæmones. Hi nullò modò restaurationem sui lapsus consequi possunt, ad restaurationem verò generis humani, quæ & quanta fecit clementissimus DEUS! Ut deperditus homo salutari posset filius DEI, unigenitus DEI Filius nasci voluit filius hominis. *Ubi enim venit plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui legi erant obnoxii, redimeret, ut adoptione filiorum ejus jus recuperemus.* Gal. IV. v. 4. 5. Ut servi maledicti liberarentur à promeritâ poenâ infernali, ipse Deus dira ac dura quæque perpessus est, ut cœlestis gloriae participes fierent damnati homines, Sanctissimus Deus in extrema ignominia animam efflavit. Quæ ergo & similia, talia animo nostro si volvimus ac revolvimus, mirandi omnino habebimus materiam, cur Deus affectu adeo paterno flagraverit ergà homines indignos ac omnino damnandos, odio verò inextingibili ergà lapsos angelos sit accusus. Hasce ergo & similes hoc in pacto ratiunculas planè non audimus, humillimâmente DEI sapientiam, justitiam, misericordiam veneramur, ac finem nostræ Disputationi imponentes, relinqvimus

## SOLI DEO GLORIAM.



99 A 6943




BR

Dattrau

VS 17. Febr.



B.I.G.



VOLUNTA-  
TE ADAMI,  
IN QUA OMNIUM HOMINUM  
VOLUNTAS POSITA FUIT;  
JUVANTE <sup>Quam</sup> JEHOVA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO**  
**WILHELMO,**  
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS BRAN-  
DENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.  
AMPLISSIMO SENATU ACADEMICO DECERNENTE,  
IN ACADEMIA REGIA REGIOMONTANA,  
**PRO LOCO**  
Professionis in Theologia Extraordinariæ,  
*publicæ Eruditorum ventilationi submittit,*  
**CHRISTIANUS MASECOVIUS,**  
S. Th. Doct. & Prof. Extraord. designat. Confist. Samb. Regi  
Confiliar. Pastor Eccles. Leobnicens.  
**RESPONDENTE**  
**SAMUELE AHL,**  
Schol. Cniphof. Con-Rect. & S. Minist. Cand.  
IN AUDITORIO MAJORI,  
Ad d. Aug. A. MDCC X. horis solitis.  
REGIOMONTI Literis REUSNERIANIS.